

nis fel. record. prædecessoris nostri Benedicti XIII, quæ incipit: *Ex quo divina*, data IV Idus Junii anno Domini 1725 ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur, ita ut a cujuscunque sacri aut religiosi loci asylo ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi et Judicis competentis curiæ pro merito puniendus tradi possit et debeat: super quo, Nos, episcopis aliisque superioribus antistitibus ad quos respective pertinet et pertinebit in posterum, necessarias et opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in gravi certamine vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere et legum severitatem evadere posse prospiciatur, volumus et respective permitimus, ut, quatenus periti ad inspicendum vulnus acciti grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper decreto episcopi et cum assistentia personæ ecclesiasticæ ab eodem episcopo deputatæ, ab ejusmodi loco immuni extractus sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege iudicibus indicta ut illum ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus quæ de homicidio sunt constitutum, alioquin in easdem pœnas incidant quæ in iisdem Benedicti XIII litteris constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis ex iudiciis ad id sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.»

(162. Anno deinde 1758 pridie Kal. Octobris Clemens XII litteras dedit, quarum initium: *Inter graviores*, ad preces sereniss. electoris palatini Caroli Theodori, constituitque ut, in oppido Manhemii carcer aliquis a laicali potestate exemptus jurisdictioni diocesanæ, nimirum episcopi Wormatiensis subiceretur, ejusque carceris custodes et ministri, in his quæ ad custodiam reorum ex locis immunibus extractorum pertinent, dicto episcopo ejusque officio et vicariatui, omnino parere teneantur. Cum igitur contingerit delinquentem laicum ad ecclesiam aliumque locum immunem in Palatinatu confugere, si quidem is publica voce et fama reus arguatur ejusmodi criminis cui, juxta canonicas sanctiones, ecclesiasticæ immunitatis præsidium denegatur, non alio ad id requisito argumento, satis esse et fore declarat pontifex ut ad illius extractionem procedatur per ministros curiæ laicalis, prævia tamen semper licentia, seu facultate in scriptis obtinenda et concedenda a superiore ecclesiastico, seu ab alia persona ad id deleganda, et cum interventu et præsentia ecclesiasticæ personæ per eundem superiorem ecclesiasticum deputanda ad hoc ut extractio hujusmodi cum districta modestia et sine populi scandalo perficiatur. Hæc porro licentia in scripto obtinenda et personæ designatio fiat ab ipso episcopo, vel ejus vicario generali in locis ubi isti resident;

alibi vero, a vicariis foraneis, hisque deficientibus a parochis locorum, quos scilicet vicarios foraneos, atque parochos episcopus semel in conferendo singulis eorum officio irrevocabili delegabit: hi tamen de licentia ad extractionem rei a se data quamprimum certiores reddent episcopum, vel ejus vicarium generalem. Reus autem hac ratione extractus ad ecclesiasticum carcerem supra designatum illico deducendus, ibique custodiendus erit nomine ecclesiæ et sub omnimoda dispositione episcopi, quoadusque idem episcopus, vel alius ab eo ad id deputatus de iudiciis a sæculari curia allatis satis cognoverit, et sua sententia in scripto proferenda declaraverit constare aut non constare de crimine excepto. Si constat, reus erit curiæ sæculari tradendus; si non constet, loco immuni unde eductus fuerat restituendus erit.

(163. Idem Clemens XIII, duobus post annis, nempe 26 Aprilis 1760, ad instantiam serenissimi Bavariæ electoris deerevit, ut a S. Congregatione immunitati ecclesiasticæ præposita tribuatur episcopis Bavariæ facultas ad triennium duratura extrahendi, cum debita decencia et interventu ecclesiasticæ personæ ab episcopo deputandæ, milites reos desertionis aut cujusvis alterius delicti militaris, a quibusvis ecclesiis et locis immunibus suæ diocesis, illosque consignandi eorum præfectis, reportata tamen prius ab iisdem promissione more nobilium de non plectendis ejusmodi militibus morte aut aliqua gravi pœna corporis afflictiva, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ adversus contravenientes Romano pontifici præterquam in mortis articulo reservatæ. De hac concessa facultate eminentissimus præfectus congregationis Immunitatis, cardinalis Delci, monuit Bavariæ ordinarios, cum potestate subdelegandi alios. Igitur sereniss. elector per decretum ad legionum præfectos, datum 23 Junii ejusdem anni 1760, jussit moneri milites de hoc pontificio indulto, exactamque ejus executionem demandavit. Ut autem singuli scirent quænam essent delicta militaria, eorum catalogus decreto adjectus est. Eum vide, si placet, apud P. Zech. § 113.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt privilegia, extractionem, et restitutionem confugientium et pœnas violantium jus asyli, et absolutionem ab eisdem.

(1. Rei debent recipi in locis sacris ad quæ confugiunt, nec possunt inde repelli aut excludi. *Communis*, arg. l. II et 3, et l. Præsenti 6, cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt*; ibi: «Ex his (religiosis) locis eorumque finibus nullos expelli, aut aliquando ejici patimur;» cap. *Reum* 9, caus. 17 qu. 4 ubi statuitur ut «rectores ecclesiarum pacem et vitam, membra ejus (rei nempe) obtinere studeant,» et concordat c. *Inter alia* 6, de Immunitate eccl., ibi: «rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, et vitam,» scilicet confugiti ad ecclesiam. (2. Rei con-

fugiti nequeunt a loco sacro seu immuni per vim extrahi, nisi commiserint aliquod crimen exceptum. *Communis*, textu expresso in cap. *Definivit* 35, caus. 17, quæst. 4, ibi: «Nullus audeat confugientes ad ecclesiam et residentes inde abstrahere;» et cit. cap. *Inter alia* 6 de Immunit. eccl. ibi: «Quantumcunque gravia maleficia perpetraverit (nisi sint de exceptis) non est violenter de ecclesia extrahendus,» et concordat l. II, cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt*, ibi: «Sancimus nemini licere ad SS. ecclesias confugientes abducere.»

(3. Neque possunt rei confugiti capi et extrahi ab Ecclesiis de eorum consensu. Sac. congregat. Immunit. in Cajacen. 20 Novembr. 1640, lib. III decret. Paul., pag. 134, quia, non obstante illorum consensu et expressa renuntiatione privilegio immunitatis, adhuc violaretur ecclesiæ immunitas, cum tale privilegium sit concessum potius ecclesiæ quam personæ; leg. præsentis 6, cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt*, cap. *Reum* 9, c. *Fratres* 10, et cap. *Definivit* 35, caus. 17, quæst. 4, et privilegio ecclesiæ, seu locali persona nequeat renuntiare; arg. cap. *Contigit* 56, de sentent. excomm. ubi statuitur quod excommunicatus sit qui in clericum etiam volentem et consentientem manus injecerit violentas, et Clericus qui se sponte subjecerit excommunicetur, cum Clericus renuntiare non possit privilegio clericali, utpote non tam ob favorem personæ quam totius status clericalis introducto, ibi: «Cum ille canon non tam in favorem clerici ordinati quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus;» et generale sit ut privilegio in favorem duorum concessio alter altero invito renuntiare non possit; cap. *Ad apostolicam* 16, de regularibus, et ibi Glossa communiter recepta in verb. *Monasterii*; Fagnan. in cit. cap. *Inter alia* 6 de Immunit., n. 87, sequent.; Pignatell. tom. VI, consult. 2, n. 29; Farinaccius in Appendic. d. Immunit. cap. 19, n. 304 cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel, lib. III dec., tit. 49, n. 161, et alii apud ipsum.

(4. Possunt tamen rei confugiti sponte ab ecclesia exire ac permittere ut egressi capiantur, quia tunc non violatur immunitas, cum nec ipsis nec ecclesiæ fiat injuria, non ipsis, quia volentibus non fit injuria; l. Cum donationis, cod. *de Transactionibus*, et reg. 27 Jur. in 6; non ecclesiæ, quia in tali casu nec capiuntur in ipsa, nec violenter extrahuntur, sed prius rei ab ipsa sponte recedunt, unde ecclesiæ nulla fit injuria; arg. l. *Quod factum*, ff. de Pactis. Guillelm. de Monte Laudun., et post eum Vitalin. in Clement. 1, n. 85, de Pœnit. et remiss.; Fagnan. loc. cit. num. 90; Pignatell. loc. cit. n. 29; Farinac. loc. cit. n. 306; Reiffenstuel loc. cit. n. 18, et alii.

(5. Rei confugiti, quandiu in loco sacro existunt, non possunt per sententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam pœnam corporalem; cap. *Reum* 9, c. *Id. constituimus* 96, caus. 17, quæst. 4, cap. *Inter alia* 6, de Immunit. ibi: «Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam;» quæ verba Fagnan. ib. num. 12, adductis variis sacris ca-

nonibus dicit non posse intelligi de executione ipsius sententiæ, sed esse intelligenda de ipsa sententiæ prolatione seu condemnatione, ut ipse innuit verb. *Damnari*. Et dicit Judices sæculares in perniciem animarum suarum proferre sententias capitales, vel corporis afflictivas in confugientes ad ecclesias et ibi commorantes, Abbas in cit. c. *Inter alia*, n. 3; Hostiens. ibid. num. 1; Joan. And. ibid. n. 3; Innocent. ib. in verb. *Ad pœnam*; Silvester verb. *Immunitas* 3, quæst. 4; Layman lib. IV, tract. 9, cap. 3, num. 13; Pirhing, lib. III decret., tit. 49, num. 47; Reiffenstuel ibid. num. 166, et alii. (6. Notant tamen Haunoldus tom. VI, tract. 1, n. 249; Castrapalao part. II, tract. 11, disputat. unic., punct. 11, num. 11; Jul. Clar. in append. *de Immunitate* cod. 19, et alii, huic juri in pluribus locis derogatum esse de consuetudine contraria, vi cujus rei ad loca sacra confugientes a iudice citantur, et non comparentes condemnantur pœna juris ordinaria, quamvis sententia executioni mandari non possit, nisi rei sponte exeant, aut alias extra loca sacra deprehendantur; et a Fagn. loc. cit. sub. n. 15 advertitur «Sacram congregationem Immunitatis in causa Mantuana 10 Septemb. 1629 censuisse iudicem etiam laicum posse procedere contra confugientem ad locum immunem prout juris in contumaciam, et in Januensi die 9 Octobris 1629, Nicolaum de Valle restituendum esse ecclesiæ, sed iudicem laicum posse contra illum ad pœnam exsilii, et ad alias in contumaciam procedere.»

(7. Rei confugiti, licet quandiu existunt in loco sacro, damnari non possunt pœna mortis, vel alia corporali, possunt tamen puniri alia pœna, videlicet pecuniaria; *Communis ac certa*, arg. cap. *Reum* 9, cap. *Id. constituimus* 36, caus. 17, qu. 4 et cap. *Inter alia* 6 de Imm., ibi: «Super hoc tamen quod inique gessit est alias legitime puniendus.» (8. Imo, si per sua crimina alios damnificaverint, non solum possunt sed et debent compelli ad eis satisfaciendum per pecuniam, aut alia bona temporalia, si quæ habent; arg. c. cap. *Reum*, ibi: «Tamen legitime componat quod inique fecit;» componere autem pro damno dato est pecunialiter satisfacere, ut notat archidiaconus in c. cap. *Reum*, n. 3 et Fagn. in c. cap. *Inter alia* n. 17 et c. cap. *Id. constituimus*, ibi: «Ei cui fuit criminis (id est obnoxius, ut explicat Glossa ibidem) de satisfactione conveniat.» Et ideo, non obstante quod ipsi existant in loco sacro, adhuc ex communi praxi licite fit executio in eorum bonis.

(9. Rei confugiti nequeunt in loco sacro carcerari, nec vinculis constringi; arg. l. Præsenti 6, cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt*, ibi: «Non patimur... in ecclesiis quempiam detineri atque constringi.» Et cap. *Definivit* 35, caus. 17, quæst. 4, communis cum Farinac. l. cit. 297; Reiffenstuel l. cit. n. 171; Pignat. tom. VI, cons. 4, n. 93, ubi refert sic decrevisse sacram Congregationem his verbis: «Confugientes non possunt retineri in ecclesia in compedibus, aut ligari,

in Cosentina 11 Junii 1627. » (10. Imo neque possunt in loco sacro custodiri, et tam custodes quam apponentes compedes et manicas ferreas confugitis in locis immunibus incidunt in censuras, et ad hoc dantur hic varia decreta sacrae congregationis Immunitatis, prout referuntur a D. Riccio in sua Synopsi, verb. *Custodes*.

(11. Custodiæ a confugientibus ad locum immunem sunt removendæ, cum non permittantur et sint contra libertatem ecclesiasticam; sac. cong. Immunit. in Aquinaten. 20 Augusti 1635; lib. II decret. Paul., pag. 230; Neapolitana 22 Jun. 1627; lib. I decret. Paul., pag. 54; Regien. 6 Jul. 1680; lib. II decr. Alt., p. 2007.

(12. Episcopus curet etiam juris remediis amoveri custodias seu obsides confugitorum ad ecclesiam, Reatina 5 Jun. 1694, lib. I decret. Vallem., pag. 127.

(13. Monetur episcopus non esse bonam praxim apponere custodias modo et forma quibus ab eo appositæ fuerunt, nempe duorum militum die, et quatuor de nocte; Anconitana 24 Mart. 1637, lib. III decr. Paul., p. 27.

(14. Monetur archiepiscopus ut amoveat custodes, seu suos cursores ab ecclesia in qua degunt confugiti; Salernitana 23 Aug. 1667 lib. I decr. Altov., pag. 147.

(15. Custodias appositæ loco immuni, in quo restituti fuere Hebræi violenter extracti, vicarius generalis curet auctoritate sua ordinaria removeri; in nullius Guastalla 10 Febr. 1680, lib. II decr. Altoviti, pag. 1924.

(16. Custodiæ istæ, etiamsi remotæ, sunt prohibendæ; Isclana 14 Februar. 1634, lib. II decr. Paul., p. 184.

(17. Apponentes custodias loco immuni incidunt in censuras comminatas contra violatores immunitatis ecclesiasticæ et indigent absolute; Aprutina 1 Octobris 1647, lib. III decr. Paul., pag. 156. (18. Custodes refugiatorum absolvuntur in forma ecclesiæ impositis gravibus pœnis salutaribus; Soanensis 22 Maii 1694, lib. I decret. Vallem., p. 122; Hieracen. 28 Augusti 1700, lib. II decretal. Valleman., pag. 309.

(19. Semotis prius custodiis, per regiones datur facultas archiepiscopo extrahendi clericum, et processum conficiendi super ejus delictis; Cosentina 19 Aprilis 1544, lib. III decr. Paul., pag. 224.

(20. Apponentes compedes et manicas ferreas confugitis in locis immunibus incidunt in censuras; Catacen. 25 Septembr. 1653, lib. V decret. Paul., p. 21. (21. Contra ponentes compedes, et manicas ferreas, ac custodientes confugitos in ecclesia, episcopus conficiat processum; Capuana 12 Augusti 1659, lib. decret. Rocci, p. 20.

(22. Archiepiscopus omnino removeri curet custodiam ab ecclesia, et conventu et liberari confugitum a compedibus et manicis ferreis, Rossan. 1 Sep. 1671, lib. I decr. Altov., pag. 195.

(23. Injungitur episcopo ut curet confugitos ad ecclesiam liberari a manicis ferreis et a compedibus, et amoveri custodiam a

compeibus etsi adsint indicia de delictis exceptis in Bulla, extrahat et retineat dictos confugitos, necnon conficiat processum; Materanen. 1 Septem. 1674, lib. I decret. Altov., pag. 988; Puteolana 17 Dec. 1675, d. lib. p. 1187.

(24. Appositio compedum et manicarum ferrearum confugitis in ecclesiis et aliis locis immunibus de ordine archiepiscopi est improbatæ; Neapolitana 20 Januarii 1634, lib. V decret. Paul., pag. 31; Caven. 8 Februarii 1639, lib. III decr. Paul., pag. 85.

(25. Declarantur excommunicati ex causa custodiæ Baroncelli in ecclesia custodientes reos ad illam confugientes. In Amerina, 4 Decembr. 1629, ex sac. congr. Immun. ut refert Pignatell. tom. VI, consult. 4, num. 17.

(26. Potest tamen a curia sæculari poni custodia extra locum sacrum ad præcavendum ne libere rei confugiti effugiant, vel ut, si extra fines ecclesiæ seu loci immuni exierint, facilius capi et puniri valeant, quia per talem custodiam nulla penitus vis aut injuria infertur loco sacro et ipsis reis confugitis, cum uti supponitur et debetur ex mox dicendis numero sequenti, liber permittatur accessus deferentibus necessaria victui et vestitui ipsis reis confugitis; et solum in loco non sacro ponantur custodes, ut, si ipsi rei confugiti sponte exeant ab ecclesia seu loco immuni, ibi capiantur ubi jure capi possunt; Farinaccius in append. de Immunitate cap. 19, n. 299; Haunoldus tom. VI, tract. 1, num. 245; Castropalao tract. 11, dis. unic. punct. 11, numer. 6; Suarez lib. III de Reverent. deb. locis sacris, c. 12, num. 4; Felix Potestas tom. I, part. 2, num. 688; Pirhing lib. III Decret. tit. 49, num. 48; Reiffenst. ibid. num. 173; Bonacina tom. II, disput. 3, qu. 7, punct. 3, citans Mar. Ital. de Immunitate lib. I, c. 6, § 2, num. 52; Layman lib. IV, tract. 9, c. 3, n. 13, et alii passim.

(27. Nemo potest impedire seu prohibere quominus victus et vestitus aliaque necessaria ad victum deferantur reis confugitis, textu expresso in l. Præsenti 6, cod. de his qui ad ecclesiam confugiunt, ibi: « Nec patimur in ipsis ecclesiis reverendis ita quemquam detineri, atque constringi, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies. » Et ratio est quia esset aperta coactio qua rei confugiti vel ad exeundum vel in ecclesia moriendum compellerentur; ita communis doctorum. (28. Neque rei confugiti impediri possunt, quominus naturam etiam extra locum asyli (si reverentia loci id exigat) exonerare possint, c. *Definivit* 35, caus. 17, qu. 4, ubi propterea triginta passus in circuitu ecclesiæ conceduntur, « qualiter ad requisitæ naturæ usum debitis exeant locis, et nullo teneantur eventum necessitudinis, qui Dominicis se defendendos commiserint claustris, » ut præcisus verbis ibidem dicitur. Unde qui necessitatis naturæ causa ad se exonerandum egreditur e loco sacro propter ei debitam et aliunde non salvabilem reverentiam, nequit capi a curia sæculari; Haunoldus tom. VI, tract. 1, n. 238 et 274, cum

pluribus ibi citatis; Reiffenstuel loc. cit. num. 159, et alii passim.

(29. Rei confugiti, si aliunde non habeant unde sustententur, debent de bonis ecclesiæ seu loci sacri sustentari, arg. lib. Præsenti 6, cod. de his qui ad ecclesias confugiunt; cap. *Aurum* 69, caus. 12, q. 2, ibi: *Aurum* ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget in necessitatibus. Et ratio est, quia tenentur rectores ecclesiarum, quicumque sint, etiam regulares conservare reorum confugitorum vitam; c. *Reum* 9, caus. 17, q. 4, c. *Inter alia* 7, de Imm. Tum quia confugitis non processet jus asyli cum alias indirecte cogentur ad exeundum et curiæ sæculari se tradendum, aut fame moriendum. Sic Glossa communiter recepta in cit. cap. *Definivit* 35, caus. 17, q. 4, verb. *Defendantur*; Abbas in cit. cap. *Inter alia*, de Immunitate num. 28; Silvest. verb. *Immunitas* 3, num. 5; Reiffenst. loc. cit. num. 157; Matthæucc. Official. curiæ, cap. de Immunitate n. 33, et alii passim. (30. Notanter autem dicitur, « si aliud non habeant unde sustententur, » quia, si possint sustentari ex bonis propriis, aut a consanguineis, aut ab amicis, aut ex eleemosynis, in tali casu de illis, et non de ecclesiæ bonis vivere debent. Imo possunt cogi ad laborandum, et serviendum in modum et utilitatem ecclesiæ seu monasterii: ut sic expensæ in ipsos factæ de bonis ecclesiæ quæ non nisi ad causas pias et pauperes erogari possunt compensentur, et etiam ne Immunitas sit eis occasio otiandi et exinde etiam peccandi, ita doctores supracitati, et alii.

(31. Rei confugiti non possunt spoliari rebus suis, quæ secum tulerunt in locum asyli; *Communis*; arg. cap. *Sicut* 6 caus. 17, qu. 4, ibi: « Qui personam, aut bona ejus subtraxerit (e loco asyli) excommunicetur, » etc. *Definivit* 35, ead. caus. et q. ibi: « *Definivit* sac. concilium ut nullus audeat confugientes ad ecclesias, vel residentes inde abstrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni, vel spoliis residentibus in loco sacro inferre. » (32. Imo neque possunt spoliari armis, quidquid in contrarium senserit Covarruvias Variar. resol. cap. 20, n. 18, corollar. 36, et post ipsum Reiffenst. loc. cit. num. 170; Felix Potestas tom. I, part. II, num. 689, et alii plures. Sic pluries resolvit sac. congregat. Immun. apud Sperell. dec. 127, n. 26, et signanter in una Neritonensi 13 Jan. 1628, in qua dixit practicandam non esse doctrinam Covarruvias ex adverso sentientis. Et quod non liceat curiæ sæculari auferre arma a Laicis confugientibus ad ecclesias et alia loca immunita, decrevit ead. sac. congr. Immun. in Adjacen. 18 Maii 1630, l. II decr. Paul., p. 97; in Motulana 11 Aug. 1631, lib. II decr. Paul., pag. 86; in Tranen. 6 Nov. 1634, lib. II decr. Paul., pag. 207. (33. Etiamsi dicta arma sint prohibita; ead. Sac. Congreg. in d. Adiacensi 18 Martii 1630, lib. II decretor. Paul., pag. 79; in Venusina 18 Febr. 1635, lib. II decr. Paul., pag. 215. (34. Quare arma ablata a confugitis sunt omnino restituenda; ead. Sac. Congre-

gat. in Camerinen. 20 Febr. 1629, lib. I decret. Paul., p. 124; in Januen. 8 Jun. 1637, lib. III decret. Paul., p. 34; in Fanen. 27 Martii 1703, lib. III decret. Vallem., pag. 481. (35. Vel episcopus sibi consignari faciat ad effectum disponendi juxta ordines Sac. Congregationis; ead. sac. Cong. in Neapolitana 24 Decemb. 1672, lib. I decret. Altov., p. 757. (36. Ablatio armorum confugitis non est permissa absque facultate S. Sedis. Et conceditur facultas ad tempus archiepiscopo auferendi arma a confugientibus in ecclesiis etiam exemptis, et aliis locis immunibus, hac tamen conditione ut arma retineantur apud curiam archiepiscopalem, et ablatio fiat per ministrum ejusdem curiæ; ead. sac. Cong. in Neapolitana 20 Jan. 1654, lib. 5 decret. Paul., pag. 32. (37. Contra auferentes arma a confugitis procedendum est ad declarationem censurarum; ead. sac. Cong. in Tranen. 6 Novemb. 1634, lib. II decr. Paul., p. 207. (38. Imo laudatur episcopus excommunicans eos qui confugitos in locis immunibus armis spoliaverunt; ead. sac. Congr. in Martoranen. 15 Jul. 1636, lib. III decret. Paul., pag. 9. (39. Possunt tamen a confugitis auferri arma, sicut et alia bona quæ non sunt sua, sed aliena et ipsa tradi propriis dominis, *Communis*; arg. cit. cap. *Sicut* 6, caus. 17 quæst. 4, ibi: « Aut bona ejus (non alterius) subtraxerit. » (40. Quoad modum extrahendi delinquentes e locis immunibus servanda est inviolabiliter novissima dispositio Benedicti XIII in citat. Constitut. incip. *Ex quo* § 9, ubi statuit quod quotiescunque curia ecclesiastica a curia sæculari fuerit requisita ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, habitis super delicti excepti qualitate ac personæ reiteratis indicibus quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc curia ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesia, aliisve locis immunibus, ope ac medio suorum exsecutorum, implorato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ procedere teneatur, et extractum ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eundem extractum talia resultent indicia ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit, in eo tandem casu præfatum extractum ministris et officialibus curiæ sæcularis tradere et consignare possit ac debeat, exacta tamen et recepta prius ab ipsis obligatione in forma juris valida restituendi extractum ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ papæ reservatæ; quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Quod si ea non purgaverit et vere delinquens repertus fuerit, possit in tali casu curia sæcularis procedere contra ipsum ut juris esse censuerit.

(41. Curia sæcularis nullo modo potest propria auctoritate reos extrahere ab ecclesia seu loco immuni in casibus exceptis, citat. Gregoriana § 4, et citat. Benedictina § 9.

42. Imo curia sæcularis neque se potest ingerere in dignoscendo, an rei gaudeant immunitate et crimina ab eis commissa sint de exceptis, nec ne? cit. Gregoriana § 4, et sit. Benedictina, § 9. (43. Soli enim episcopi, aut eorum vicarii generales, et non alii Episcopis inferiores etiamsi locorum ordinarii sint, aut nullius diocesis, aut conservatores Sede apostolica specialiter vel generaliter deputati, cognoscere et declarare valent, an delicta pro quibus inquisiti ad loca immunita confugerunt sint nec ne de genere ac numero exceptorum. Sic expresse novissime statuit Benedictus XIII, in dicta Constitutione *Ex quo*, § 9, confirmans dictam Gregorianam. (44. Occurrente casu in loco exempto et nullius diocesis, tunc hæc cognitio et declaratio spectat ad episcopum viciniorem, et non ad alios, cit. Gregoriana § 4, confirmata a dict. Benedictina § 9. (45. Sic etiam, sede vacante, talis cognitio et declaratio non spectat ad vicarium capitularem, sed ad episcopum viciniorem, ut colligitur ex cit. Constitutionibus, et expresse declaravit pluries sac. congreg. Immunitatis, et signanter in Regiensi 19 Novembr. 1650, lib. iv decret. Paul., pag. 125; in Calaritana 30 Septembris 1698, lib. ii decret. Vallem., pag. 178; et in una S. Severini, 29 Apr. 1704, lib. iii decret. Vall., pag. 577. (46. In casibus non exceptis non est neita episcopo extractio absque facultate apostolica, et sic extracti restitui debent ecclesie; sac. Congreg. in Brundusina 24 Augusti 1694, l. i decret. Vallem., pag. 131. Neque ad vitandum populi tumultum; Eadem sac. Congreg. in Perusina 1 Martii 1696, l. i decret. Vallem., pag. 176. Etiam respectu clericum sodomitæ in Anglonen. 2 Jun. 1699, lib. ii decret. Vallem., pag. 224. (47. Unde episcopus, qui sine dicta facultate extraxit, acriter corrigitur pœnis sanctissimo benevisis; ead. sac. Congr. in Cajetana 10 Septembris 1632, lib. v decret. Paul., pag. 197. (48. Homicidæ extracti ab ecclesia de mandato episcopi ad instantiam communitatis ad effectum evitandi publicum malum sunt restituendi; eadem sac. Congregat. in Cassanen. 1 Aprilis 1704, lib. iii decret. Vall., pag. 568. (49. Militem extractum ab episcopo ob plurima delicta, sed de non exceptis episcopus faciat restituere; ead. sac. Congr. in Laurentana 29 Decembris 1625, lib. Scripturarum veterum, pag. 78. (50. Extractus a curia laica ob delictum exceptum episcopus curet sibi consignari vel retineri in carceribus laicalibus, reportata obligatione retinendi nomine sacre Congregationis usque ad novum ordinem; ead. sac. Congregat. in Alexandrina 1 Decemb. 1700, lib. ii decret. Vallem. p. 220. (51. Archiepiscopus absteineat a captura in ecclesia, quando non agitur de casibus exceptis; ead. sac. Cong. in Cosentina 23 Julii 1625, ex reg. Script. deter. pag. 64. (52. Ordinarius loci non potest extrahere bona decoctorum absque facultate Sedis apo-

- stolicæ; sic decrevisse sac. Congr. in Neritonen. 17 Januar. 1628; refert Pignatelli. t. VI, consult. 4, n. 98. (53. Episcopus non potest extrahere decoctores, cum non sint de exceptuatis; sac. congreg. Immun. in Panormitana 21 Januar. 1626, lib. Scripturar. veterum, pag. 90. (54. Sac. Congregatio tribuit archiepiscopo facultatem præfigendi confugito dolose decocto congruum tempus, intra quod vel solvat vel concordet cum creditoribus, et quatenus neutrum exsequatur, attentis gravissimis circumstantiis in isto casu concurrentibus, ejiciendi e dicto loco immuni et extrahendi libros ac res ad eundem pertinentes; Avenionen. 14 Septemb. 1694, lib. iv decret. Vallem., pag. 154. (55. Deinde attentis prædictis circumstantiis datur facultas illum extrahendi ad formam Bullæ, et retinendi in carceribus ecclesiasticis nomine sacre Congregationis necnon perquirendi, extrahendi in forma, ibid. (56. Mercatori fraudulenter decocto, annuente Sanctissimo, præfigitur tempus duorum mensium intra quod recedere debeat a loco immuni si parti non satisfecerit vel illam acquiescere non curaverit. Meliten. 13 Decemb. 1633, lib. ii decret. Paul., pag. 179; Catacen. 21 Martii 1634, lib. ii decret. Paul., p. 186. (57. Datur episcopo facultas assecurandi libros decoctoris confugiti repositos in loco immuni ad effectum custodiendi et de eis disponendi, prout de jure; Ravennaten. 3 Jul. 1694, lib. i. decret. Vallem., p. 131, et 14 Aug. p. 139. (58. Ut consulatur indemnitati creditorum qui nequeunt exsequi facere mandatum contra debitores qui res suas in locis immunitibus transtulerunt, dantur episcopo litteræ perquisitionis in forma; Perusina 17 Augusti 1695, lib. ii decret. Vall., pag. 110; Ariminen. 6 Decemb. d. an. et lib. pag. 234, et alibi. (59. Aliquando præfata litteræ diriguntur nuntio apostolico juxta formam consuetam ad annum; Neapolitana 25 Junii 1695, d. lib. p. 196, quibus litteris uti possit in ecclesiis suæ jurisdictioni subjectis, in ead. 12 Januar. d. an. et lib. p. 186. (60. Ne creditores damnium patiantur a debitoribus decoctis, qui una cum rebus suis confugerunt ad conventum N. datur facultas D. nuntio illas perquirendi et extrahendi in forma, ad effectum illas consignandi inventariatas judici competenti; Pisana 6 Aug. 1695, lib. i decret. Vall., p. 208. (61. Datur aliquando facultas ut debitores ex causa civili cogantur exire a loco immuni; S. Severinæ 18 Decembr. 1635 lib. ii decret. Paul., p. 240. (62. Perceptor proventuum regionum confugitus ad ecclesiam de rigore juris gaude immunitate ob debitum prætentum a camera regia ex causa administrationis; sed ex gratia, facto verbo cum Sanctissimo, concedi potest ut præfigatur eidem terminus duorum mensium, intra quem, si non reddiderit computa vel concordaverit seu satisfecerit camera-

- regiæ, ejiciatur a loco immuni. Lycien. 21 Augusti 1646, lib. iii decret. Paul., p. 290. (63. Ijungitur archiepiscopo ut præfigat terminum agenti regis Poloniæ qui receperat scuta duodecim millia paucis diebus antequam se declararet decoctum, ad recedendum a loco immuni, et extrahere faciat pecunias ac bona ibidem translata ad effectum ea consignandi judici competenti in forma; Neapolitana 9 Octobris 1629, lib. ii decret. Paul., p. 9. (64. Aliquando, annuente Sanctissimo, iungitur internuntio ut præfigat terminum appaltatoribus seu arrendatoribus patrimonii regii et Gabellarum civitatis confugitis, quo elapso, si summa debita erit magna vel sibi videbitur intervenisse fraudem, extrahat, retineat et certoret; Neapolitana 11 Mart. 1625, ex Regest. script. veter., p. 51. (65. Committitur archiepiscopo ut extrahere faciat debitores regiæ cameræ confugitos ad loca immunita a quocunque immuni ad formam bullæ Gregorianæ, et mancipari carceribus ecclesiasticis donec integraliter persolvant regiæ Cameræ; Neapolit. 18 Junii 1625, lib. i litterarum Paul., p. 19. (66. Item, annuente Sanctissimo, permittitur episcopo Perusino ut debitor extractus pro debitis in egregia summa communitatis et cameræ apostolicæ retineatur in carceribus, Perusina 18 Septemb. 1635, lib. v decret. Paul., p. 76. (67. Debitor egregiæ summæ vocans creditorem ad propriam domum, ac armata manu una cum aliis extorquens quietantiam 2,000 scutor., gaudet immunitate, sed agendum Sanctissimo pro pœna extraordinaria, attenta mala qualitate rei; Sarzanen. 11 Jan. 1684, lib. iii decret. Altoviti, p. 271. (68. Censetur dolose extractus debitor habens promissionem a creditore quod non faciat exsequi mandatum personale contra ipsum, verum cum exierit a loco immuni, carceratus fuit ad instantiam ipsius creditoris; Nucerna 9 Maii 1702, lib. iii decret. Vall., p. 420. (69. Debitor virginis et pauperrimæ, nisi intra terminum unius mensis solvat, datur facultas Ordinario ipsum ejiciendi e loco immuni; Sabin. 6 Novem. 1634, lib. ii decret. Paul., p. 297. (70. Licet non constet ex processu de extractione dolosa, seu blandis verbis confugiti ecclesia, quia tamen ex confessione extrajudiciali habetur dolose extractum fuisse, sac. Congregatio resolvit gaudere et restituendum esse ecclesie; ead. sac. Congr. Immun. in Ferrarien. 24 Jan. 1673, lib. i decret. Altov., pag. 765. (71. Item declaravit gaudere illum qui dolosis verbis extractus fuit ex atrio collegii, seu domus pie litteratorum Romæ; eadem sac. Congr. Immun. in Romana 16 Julii 1675, lib. i decret. Altov., pag. 1124. (72. Similiter qui fuit impeditus a birruariis existentibus in loco immuni ne confugeret ad locum immunem; in eadem ibid. (73. Item qui tempore capturæ jam tetigerat columnam positam in angulo superiori domus ministrorum inser-

- vientium monialibus S. Silvestri Roma; in eadem ibid. (74. Constat de dolosa extractione a loco immuni, quando baroncellus fingens se velle manducare cum confugito mittit ipsum cum vino ad fontem, ubi capitur a birruariis; eadem sacra Congr. Immun. in Reatina 27 Martii 1696, lib. ii decret. Vallem., pag. 15. (75. Est dolosa extractio, quando simulatus confuga seduxit Judæum confugitum exire de loco immuni, asserens non adesse birruarios a quibus mentitis vestibus captus fuit; eadem sac. Congr. Immun. in Anconitana 10 Febr. 1699, lib. ii decret. Vallem., pag. 201. (76. Constat de dolosa extractione, quando birruarii mentitis vestibus et incogniti sub prætextu emendi certa mobilia inducunt confugitum ad exeundum ab ecclesia et veniendum domi, ubi ipsum carcerant; Bononien. 3 Decemb. 1697, lib. ii decret. Vallem., pag. 123. (77. Constat de dolosa extractione, quando debitor sub promissione creditoris de non faciendo exsequi mandatum personale contra ipsum, carceratur ad instantiam creditoris, postquam exiit a loco immuni; Nucerna 9 Maii 1702, lib. iii dec. Vallem., pag. 420. (78. Item quando sub promissione reconciliationis faciendæ cum suo adversario confuga egreditur ab ecclesia, et capitur a birruariis; Ferentina 22 Jan. 1704, lib. iii dec. Vall., pag. 550. (79. Constat de dolosa extractione, quando fugitus exit ab ecclesia sub assecuratione baroncelli quod non carcerabitur, et postea ab ejusdem birruariis carceratur; Perusina 22 Sept. 1693, lib. i decret. Vallem., pag. 77. (80. Quando confuga egreditur de ecclesia quamvis absque præcedenti tractatu cum curia laica, nec de ejus mandato, sed amici, vel alterius privatæ personæ suasionem habentis animum tradendi ipsum in manibus dictæ curiæ, prout de facto contigit, constat de dolosa extractione, adeoque est restituendus, Camerinen. 20 Sept. 1704, lib. iii decret. Vallem., pag. 618. (81. Constat de dolosa extractione a loco immuni extractus debet restitui ecclesie; Aliphana 12 Julii 1689, lib. decret. Martelli pag. 490; Balneoregien. 11 Jan. 1695, l. i decret. Vall., p. 166; Ancon. 10 Febr. 1699, lib. ii decret. Vall., pag. 256. (82. Sarcina papyri fraudulenter extracta conventu per ministrum appaltatoris qui se finxit dominum dict. papyri, et decipiens portuarius conventus fraudulenter inde extraxit, est restituenda in ecclesia; Civitatis Castelli 21 Nov. 1684, l. iii decret. Altov., pag. 389. (83. Non videtur constare de dolosa extractione, quando quis tanquam privatus promittit confugito eum benigne tractandum a iudice ecclesiastico, in cujus propterea curia se constituit; Neapolitana, seu Nolana 31 Augusti 1700, lib. ii decret. Vall., pag. 311. (84. Non constat de dolosa extractione, quando confugitus exiit a loco immuni ex eo quod tribunus militum, ut fieret miles promisit omnem securitatem, nullo tamen habito tractatu per tribunalium cum curia laica